

tempore, nostra ætate, illi iniuncta est cura se informandi de qualitatibus eorum, qui Papæ proponantur pro regimine Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum.

In forensibus autem, iuxta pariter modernam introductionem, eius munus principaliter versari videtur in ijs, quæ concernunt recursum ad Signaturam Gratiæ, ideoque de hoc agitur infra in dictæ Signaturæ rubrica particulari. G Alij verò aulici officiales, ut sunt Præfectus cubiculi, Pincerna, Dapifer, Eleemosynarius & alij, nullam habent iurisdictionem, ac propterea nullam figuram faciunt in ordine hierarchico Curie Romanæ; Bene verum quod primū præsertim munus Præfecti cubiculi, esse solet magnæ estimationis, & quandoque exerceri per seniores, nimiumque qualificatum Prælatum, qui transierit per gradus, & munera, etiam maiora, ideoque mereatur dici proximus purpuræ, ad quam ab hoc munere transitū fieri frequens praxis docet; Ut præsertim nuper ea docuit in Clemente X. qui alteri Clementi immediato prædecessori post plura etiam primaria munera laudabiliter exercita Episcopi Cameriniensis; Nuntij Neapolis; Nuntij Collegij Cardinalium ad Principes Italiae; Et Secretarij Cōgregationis Episcoporum, & Regularium, ad hoc munus assumptus, fuit successor immediatus; Ideoq; ad Curiam aulicam potius, quàm ad forensium istorum, & aliorum officialium munera pertinent.

G. dist. 30.



De Datario, ac alijs Datarie officialibus.

S V M M A R I V M.

- 1 DE agentibus de hac materia Datarie, & de vocabulo Datarij.
- 2 Quale sit institutum Auctoris in uniuersa hac relatione.
- 3 Quare expediat antiquum statum scripturarum, & scire.
- 4 In quo consistat æquiuocum scriptorum de quibus num. 1.
- 5 In quo proprie consistat munus Datarij, & quod ipse non conficiat literas.
- 6 Quæ sint negotia, quæ transeunt per Datariam.
- 7 Quæ negotia antiquitus per Papam explicabantur.
- 8 Et per quæ organa hodiè dicta antiqua negotia transeant.
- 9 Quæ concessionès fiebant per Pœnitentiarium, & hodiè fiunt per Datariam.
- 10 Multa negotia quæ expediuntur per Datariam, sunt moderna.
- 11 De origine, & introductione reservationum, & affectionum Apostolicarum in beneficijs.
- 12 Quod per reservationes penè annihilata sit potestas Ordinariorum in collatione beneficiorum.
- 13 De quo tempore, & ubi caperint reservationes Apostolica beneficiorum.
- 14 De causa introductionis officij Datarij.
- 15 Gratia anterior præualeat, ac attendi debet.
- 16 Quale item sit munitus, vel officium Datarij.
- 17 De ethimologia vocabuli, vel nominis Datarij.
- 18 Quibus personis hoc datarij munus iniungatur, & præsertim Rota Auditoribus.
- 19 Cardinales non vocantur Datarij, sed Prodatarij.
- 20 De Subdatario, & Perobitum.
- 21 De munere Datarij in preparando negotia Papa proponenda, & de signatura supplicationum.
- 22 De eodem Subdatario.
- 23 De data, quæ apponitur supplicationibus signatis.
- 24 De primo, & secundo reuifore alijsque offi-

officialibus, & quod isti aliqua excellent.

- 25 De registratione quæ gratiam perficit.
- 26 Datarius potest lacerare supplicationes, signatas ante registrationem.
- 27 Sola supplicatio sine literis non sufficit & quando fecus.
- 28 Ex stylo Datarie, & Cancellarie desumitur voluntas Papæ, & regulatur materia surreptionis.
- 29 De stylis Datarie.
- 30 De conclusione quod in Papa non detur ignorantia iuris, unde deriuet.
- 31 De controuersijs forensibus, & contentiosis quæ in Dataria habeantur.
- 32 Datarius declarat voluntatem Papæ.
- 33 Contrà assertiones Datarij non admittuntur probationes.
- 34 An credatur attestationibus Datarij post dimissum officium.
- 35 De transumptis literarum Apostolicarum, eorumque forma hodierna.
- 36 De gratijs quæ signantur in forma Concessum.

D I S C. IX.

1 **ODERNUS** rerum Datarie scriptor A, agendo de huius vocabuli Datarij, ethimologia, huiusque muneris antiquitate, seu introductione, et an antiquus hic officialis diuersus esset à Vicecancellario; Ad hanc diuersitatem probandam, multa recenset antiqua diplomata Apostolica, in quorum subscriptionibus, ille Cardinalis, qui cancellarij, vel scribæ munus gerebat, non semper Cancellarium se enunciat, sed quandoque bibliothecarium, & quandoque scriniarium, vel sub alijs titulis & nuncupationibus.

Quamuis autem meū non sit, istas, ut plurimū superfluas, antiquitatis quæstiones, assumere dum institutū directum solū est ad publicam utilitatem, ex solo motu charitatis, præsertim ergà externos, ut acturi negotia in Curia Romana, sciāt quam viam aggressuri sint; Siue ut ab eadem Curia in partibus, expeditiones

A. Amayden. de stylo Datarie capitul. 1. & 2.

habentes, earum speciem seu qualitatem agnoscant, atque à malis Curialibus, vel crumenarum iniquis tortoribus, non decipiantur; Hinc propterea, neglecta antiqui rerum status indagatio, pro dicto instructiuo fine, congrua solum, ac sufficiens reputatur practica enarratio status præsentis; In hoc tamen, Datarij munere, vel Datarie Tribunali (ut etiam in aliquibus alijs Tribunalibus) pro eodē instructiuo fine, ac regulatione rerū præsentium, non incongruum est, aliquid super origine, vel antiquo statu perscrutari, ut ad meliorem officij, vel tribunalis cognitionem deueniatur.

Equiuocum itaque videtur illud præfati Moderni scriptoris, ex dictis diuersis antiquorum diplomatum subscriptionibus, inferre ad hoc munus Datarij, quoniā, quidquid sit de diuersitate, inter antiqua munera, Archidiaconi, Cancellarij, Archiuarij, Scriniarij, Scribæ, Bibliothecarij vel similia; Non tamē exindē inferri potest, ad antiquitatem huius officij Datarij; Tū quia, attento antiquo statu, Curia Papæ, nullum ferè expediebat negotium, ex ijs, quæ hodiè ad Datariam pertinent ut infra; Tum etiam quia, ex lectura Indultorum Apostolicorum, aliarumque concessionum, quæ per litteras in formam bullarum, seu privilegiorum, concessa appareant, ad hoc munus Datarij inferri non potest.

Si quidem, attento etiam hodierno statu, ipsamet negotia, quæ per organum Datarij à Papa explicantur, reducuntur ad dictam formam literarum Apostolicarum, per diuersum organum Cancellarie, cum subscriptionibus (pro negotiorum diuersa qualitate) Vicecancellarij, aliorumque Cancellarie officialium, non autem Datarij, eiusque officialium, quorum munus est solum circa supplicationes originales, in quibus gratiæ per Papam concessæ contineantur; Et ex quibus, postquam per omnia Datarie organa, legitimè transierunt, adeo perfectæ, & authenticæ matrices dici valeant, Vicecancellarius, eiusque officiales, litteras solemnes, quæ bullæ vulgò dicuntur, conficiunt, tanquam per speciem illius pu-

publici instrumenti, quod in publicam formam probantem, à matrice, seu ab originali imbreuitura, in forma magis lata, & solènni, per Notarium redactum sit, vt partibus tradatur, ad probationem & executionem, ita fingendo duos eiusdem contractus, vel dispositionis Notarios diuersos; Vnum scilicet, ad quem pertineat rogatum vel stipulationem facere, in matrice, vel prothocollo; Et alterum ad quem pertineat, ex eadem matrice, vel prothocollo, publicum reassumere instrumentum in forma solènni; Et per consequens clarum æquiuocum est, ex antiquarum bullarum subscriptionibus, ad istud Datarij munus inferre.

Potissimè quia (vt præmissum fuit,) in illis antiquioribus temporibus, quæ ab eodem Scriptore expenduntur, Papa fortè nihil, vel parùm, se ingerebat in illis negotijs, circa quæ penè totum Datarij munus hodiè versatur; Vt nempe sùt collationes beneficiorum reseruatorum vel affectorum, Nec nò reseruationes pensionum super eisdem; Ac dispensationes matrimoniales, aliæuè dispensationes, puta super natalibus, vel super irregularitate, aut super bigamia, vel super ætate, & similes; Ac etiam sunt Apostolica beneplacita super alienationibus honorum Ecclesiæ; Vel concessiones officiorum venalium, & similia, quæ omnia moderna sunt, dictis antiquis temporibus incongrua, quando Papa uti Papa, non autem uti Episcopus particularis Urbis, solum se ingerere videbatur in prouisionibus Cathedralium, & Metropolitanarum, & aliquarum Monasterialium; Sive in nouis earundem Cathedralium, & Metropolitanarum erectionibus; Aut in earum, & aliquorum Monasteriorum exemptionibus, à Metropolitano, vel Ordinario respectiue, recipiendo sub immediata B. Petri, ac Sedis Apostolicæ iurisdictione, & protectione; Aut in illis indultis, & priuilegijs, quæ pro bono fine, ità illorum temporum conditione exigente, etiam circa spiritualia, Principibus sæcularibus, vel Republicis, alijsque Vniuersitatibus concedebantur; Et ex quibus deinde in abusum transcurrentibus, tot eidem

Sedi damna, & præiudicia irreplere; At, que super his, antiqua diplomata Apostolica circumferuntur.

Ista verò non sunt negotia Dataria, neque per Datarij organum explicantur; Si quidem, Cathedralium, & Metropolitanarum, & aliquorum Monasteriorum prouisiones, nouæque erectiones, vel vniones, aut diuisiones, vel concessiones pallij, expediuntur per viam Consistorij, Et sic per organum Vicecancellarij, à quo expediuntur literæ; Atque alia indulta, de quibus supra, hodie, vel pariter per Consistorium, & sic per organum Cancellaria, non autem Dataria, vel per alterum organum Secretarij Breuium expediuntur. B.

Moderna verò sunt, ferè omnia negotia, quæ ad Datariam pertinent; Siquidem præfatæ dispensationes, tam matrimoniales, quàm aliæ (aliquibus grauissimis & insolitis casibus exceptis,) vsque ad recentia tempora Pij IV, adedunt, vnus tantùm sæculi decursus accedat, concedebantur per organum Penitentiaria, vt infra in eius particulari rubrica aduertitur; Idemque sequebatur in beneplacitis Apostolicis super alienatione honorum Ecclesiæ, vel in alijs Apostolicis assensibus seu confirmationibus. C.

Collationes verò beneficiorum reseruatorum, exceptis illis Urbis, quæ à Papa conferebantur tanquam Episcopo, & loci Ordinario, sunt recentes, ob recentem vsum reseruationum, & affectionum Apostolicarum; Magisque recentes sunt reseruationes pensionum ecclesiasticarum super eisdem beneficijs, vel super Cathedralibus, & Metropolitanis ac Monasterijs; Ac etiam modernus est vsus venalium, vel gratuitarum cõcessionum aliquorum officiorum Romane Curia.

Quatenus enim, ad beneficiorum reseruationes, vel affectiones Apostolicas, & successiue ad reseruatorum collationem pertinet; Iuris communis vel sacrorum Canonum dispositione attenta, omnia Ecclesiastica beneficia, tam curata, quàm non curata, cuiuscumque qualitatis, etiã dignitatè præferentia, quocumque tempore, in quocumque loco, & ex cuiuslibet

B. disc. præced.

C. infra disc. 12.

bet possessoris morte naturali, vel ciuili vacent, pertineat ad Episcopi, vel Ordinarij, in cuius diocesi vel territorio sita sint, nisi lex foundationis, vel antiqua consuetudo, aut alter legitimus titulus, alteri inferiori ac priuato collatori extraordinariam, seu accidentalem facultatem tribuat; Adedunt Papa, præter prouisionem Cathedralium, & Metropolitanarum, & aliquarum Monasterialium seu Collegiatarum, cum territorio separato per viam propriæ electionis, vel creationis, seu per viam confirmationis electionis, vel nominationis, aliam non haberet collationem beneficiorum, nisi ordinariam ratione particularis Episcopatus Urbis, vel aliam nimium raram iure deuolutionis, tam ab Ordinario, quàm à Metropolitano; Paulatim verò ad præces eius familiarium, aliorumue Aulicorum, vel Curialium, cupientium prouideri de beneficijs in propria diocesi existentibus, inoleuit vsus, quod Papa illos, Ordinarijs collatoribus commendaret, præsertim postquam irrepsit vsus dandi Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas, ac etiam Monasteriales, in commendam Cardinalibus, & Prelatis, alijsque Romanam Curiam sequentibus, absque onere residentia; Vnde propterea dici ceperunt prouisiones ordinariæ, ad commendationem Papæ; Multumque rari erant casus, in quibus, Ordinario collatore inciviliter Papæ commendationem parui faciente, ipse vteretur eius alibi insinuata potestate, Ordinarij Ordinariorum, præueniendo locales Ordinarios in collatione beneficiorum alioque exercitio ordinariæ iurisdictionis, ac potestatis. E

Ab hoc initio ortum duxerunt omnes Apostolicæ reseruationes, & affectiones, per quas, vel ratione temporis, vel ratione personæ, aut ratione rei, seu qualitatis beneficij, aut ob accidentalem appositionem manuum Papæ, occasione resignationis, vel coadiutoria, præfata Ordinariorum iurisdictionis seu facultas, valde restricta est; Siquidem translata Sede Apostolica in Galliam, in Ciuitate Auenionensi circa annum 1324. introduci cepit reseruatio personalis, & realis, aliquorum scilicet nimium qualificatorum

beneficiorum seu dignitatum, dum prius vigeat localis eorum, quæ vacarent in Curia Papæ, vel per mortem aliquorum eiusdem Curiaë qualificatorum Officialium; Deinde paulatim per regulas Cancellariæ sequutæ sunt aliæ reseruationes, illa præsertim maior magisque generalis temporis, octo scilicet mensium cuiuslibet anni; Idque de consequenti, vel introduxit, vel nimium ampliavit reseruationes pensionum ecclesiasticarum super eisdem beneficijs.

Cum itaque huiusmodi prouisiones, non publicè in Consistorio, sed priuatim in aula, per supplices libellos, aut per supplicationes, manu Papæ signatas, fierent; Casus autem præberet, quod idem Papa, ex negotiorum multiplicitate, non valens omnia memoria retinere, eadè beneficia, pluribus personis conferret, vnde propterea continua oriebantur iurgia, super temporis anterioritate, quæ etiam in beneficialibus, atque in gratiarum cõcessionibus attendenda est, quod scilicet gratia anterior posteriori præfertur; Idcirco quendam priuatum potius, seu fiduciarium ministrum, tanquam per speciem Secretarij, ad id deputare congruum fuit, qui curam huiusmodi supplicationum, & expeditionum haberet, atque postquam Papa, per eius signaturam, gratiam perfecit, ipse adnotaret tempus seu diem, ut ità dignosceretur, quænam essent gratia anteriores, & quæ posteriores; Ac etiã (& fortius) ut ità conuinci posset, an congruo tempore, gratia petita, & respectiue concessa esset, eo quia, absque verisimili notitia mortis, beneficia adhuc non vacata, quando recens vacatio sperabatur, extorqueri solebant, vt etiam hodierna praxis quandoque docet.

Idemque minister, vel officiali, qui hanc habebat curam, adnotandi scilicet datam temporis, tanquam rerum beneficialium peritus, gerebat quoque munus Consiliarij, vel Auditoris Papæ, ad effectum inspiciendi, eidemque consulendi, an illa vacatio, caderet, necne, sub eius reseruationibus, ac prouisione; Seu quomodo pro beneficiorum qualitate prouisio facienda esset; Aut an oratores, qui supplicationes porrigebant, essent digni, P. 2. Relatio. H ac

D. tit. de benef. disc. 1. & seqq.

E. supra disc. 2.

F. Buratt. & add. dec. 42 1. & passim.

ac idonei, nec ne.

Exinde propterea prodijt, hoc Datarij nomen, seu vocabulum; Non quidem a verbo *dare*, quoniam, non ipse, sed Papa dat beneficia, aliasque gratias, sed ab alio barbaro, ac linguæ latinæ professoribus ignoto vocabulo *Dature*, quia scilicet adnota bat datam, quæ in Principū legibus, ac prouisionibus, & gratijs, ab antiquo tempore adhiberi consuevit, vt docet tenor plurium Imperialium Constitutionum in Codice, ac etiam docent Apostolicæ Constitutiones, aliaque diplomata, etiam antiqua.

Diciturque circumstantiæ, circa quas Datarij munus versatur, præsertim Consiliarij, summique fiduciarij Papæ causant, vt hoc munus, Prælati nimium qualificatis, atque in materia beneficii bene versatis iniungi soleat; Illudque præfertur quoque gradum, pro frequentiori contingentiâ purpuræ proximum; Atque pro nostræ ætatis, seu recordationis praxi, continuatus fuit stylus sex Pontificū, à Gregorio scilicet decimoquinto, ad regnantem Clementem Decimum, quod Datarius assumptus fuerit ex Rotæ Auditorio; Sub Gregorio enim decimoquinto, hoc munus exercuit *Merlinus*, talis doctrinæ, qualem eius decisiones probant, et qui ob nimiam Pontificatus breuitatem, ad maiora non transijt; Sub Urbano VIII. successore, assumptus fuit *Cauerius*, cuius decisionum quoque volumē habemus, qui purpuram assequutus est; Sub Innocentio Decimo successore, fuit Datarius *Cecobinus*, pariter Auditor, breui assumptus ad cardinalitiam dignitatē, in qua etiam continuauit in officio, Sub Alexandro VII. successore, idem officium commendatum fuit *Corrado*, iā qualificato, & docto Cardinali, creato per Innocentium prædecessorē, qui etiam per plures annos Rotæ Auditor fuerat; Idemque sequutum est sub Clemēte IX. successore, in pariter qualificato & docto Cardinali *Othobono*, qui Corradi in promotione collega, fuit cuius decisionū volumē habemus; Atque sub Clemente X. regnante ac successore, ad hoc munus, euocatus fuit in statu Auditoris Rotæ *Carpinens*, nunc pariter qualificatus & doctus Cardinalis, ac Urbis Vicarius, qui in eiusdem muneris exercitio continuat.

Ea verò dignoscitur differentia, inter

Datarios, qui sint in statu Prælatuꝝ, & eos, qui cardinalitia dignitate iam polleant, quoniā isti posteriores, non Datarij, sed Prodatarij vocantur, fortè quia non congruat eximie cardinalitiæ dignitati, assumere officium inferius, ac prælatitium, quod ita prouisionaliter, seu iure cuiusdam commendationis, per Cardinalem administrari non incongruat.

Ac etiam, in eadem nostra ætate, seu recordatione, sub Urbano VIII. ab eodem Rotæ Auditorio, assumi vidimus ad munus Datarij Cardinalis *Barbarini* nepotis, in Legatione delatere ad Reges Catholicum, & Christianissimum, pro pace inter eos inienda, bellisque componendis, *Pamphilium*, qui Cardinalis etiam creatus, eiusdem Urbani successor fuit, sub nomine Innocentij X.

Habet item Datarius plures adiutores, & officiales, cum distributione inter eos munerū ad eundem finem tendentiū vt ita occurratur fraudibus, quodque adeo graui negotia fideliter, & bene administrantur, ex quibus duo primi, seu maiores, vnus vocatur *subdatarius*, qui ex ordine Aduocatorum vel Patronorum, in materia beneficii bene, tam theoreticè, quam practicè peritus, assumi solet; Et alter vocatur *Per obitum* assumi solitus ex ordine Procuratorum seu Expeditorum Datarie, in eadem beneficii materia, alijsque Datarie negotijs, practicè, nimium peritus; Istique habentes supplicationes, aliaque negotia inter se bene distributa, esse videtur quidam Assessores, vel consiliarij Datarij, qui cum eorū consilio, in congregationibus quotidie haberi solitis, auditis Partium, vel Expeditorum instantijs, et quandoque etiam contradictorijs, ac examinatis prætensoꝝ qualitatibus, ita bene præparat negotia proponenda Pontifici, cui in audientia, quam habet singulis diebus non impeditis, proponit personas, quæ pro vacantibus beneficijs supplicent, eorum qualitates fideliter referendo, vt Papa inter plures eligat; Istaque electione sequuta, eidem porriguntur supplicationes eorum, qui præelecti sūt, ac etiā alię, quæ sine hac discussione vel concursu porriguntur, super resignationibus vel coadiutorijs, aut dispensationibus, vel prouisionibus officiorum, alijsque gratijs, quas Datarius consulat esse concessi-

sibiles, ac stylo non aduersari, quas Papa manu sua signat, seu subscribit, huicque functioni assistere solet Subdatarius, qui Papæ in aliquibus operibus subscribenti inseruit tanquam primus Datarij minister bene informatus, & qui in casu infirmitatis, vel alterius impedimenti Datarij, dictas eius vices, cum Papa explet.

Vndè propterea quandoque praxis docuit quod per mortem, vel per dimissionem, defecto Datario Pontifex, istum ministrum ad principale Datarij munus assumere consuevit, utpotè iam fiduciarium, & iam informatum, vt pro nostra pariter recordatione praxis docuit in Urbano VIII., & Innocentio X.

Signatis supplicationibus manu Papæ, Datarius ad proprias regrediens mansiones, in eadem die, vel in altera, prout sibi, pro negotiorum qualitate, oportunitate videatur, datam adiicit, quam aliquando, ex superuentis melioribus informationibus, negare solet, ac potest, vndè propterea supplicatio, quamuis signata inanis remanet; Sequuta vero data, supplicationes illorum negotiorum, pro quibus componenda soluantur, transeunt per manus illius, qui componendæ officialis vel administrator sit, ne alijs illorum negotiorum expeditio sequi valeat, deindeque istæ, ac aliæ, in quibus hic officialis se non ingerit, per organum cuiusdam alterius officialis qui *Missus* dicitur, transeunt per manus aliorum duorum officialium, qui sint huiusmodi negotiorum valde practici, & qui primo .i. vnus deindeque Alter omnes supplicationes reuident, ideoque nuncupantur primus, & secundus Reuisor, istique easdem supplicationes quamuis signatas, & datatas, in plerisque corrigunt, ac reformant, clausulas addendo, vel minuendo, & pleraque etiam cancellando, seu interlineando, etiam ea, quæ narrari debent pro validitate gratiæ, sed pro stylo, incongruum reputatur enarrari in literis desuper expediendis G; Et postquam per istos approbatæ, & correctæ sint, transeunt ad manus alterius officialis, qui Registrator, seu magister registra-

torum dicitur, isque eas bene recognitas, quod scilicet per manus vt supra, transferint, distribuit registratoribus inferioribus, qui eas fideliter registrant in libris, seu registris bene ordinatis, quæ in tempora in Apostolico Archiuo reponi solent; Alique adfunt officiales, & præsertim ille parua datæ, & quidam particularis reuisor dispensationum matrimonialium, qui gerit eas partes in hoc gratiarum genere super reuisione, ac reformatione supplicationum, quas generaliter dicti alij reuisores gerunt.

Per hunc autem registrationis actum, sequi dicitur omnimoda gratiæ perfectio, adeo vt, ius quæsitum dicatur gratiato, non autem prius H dum antequam ista perficiantur, gratia esse dicitur, potius in via, quam in termino; Adinstar eorum quæ habemus in materia testamentorum, donec sunt in via, non adhuc redacta ad vltimum terminum testandi, Idum non solum isti officiales, supplicationes iam signatas, & datatas, corrigere, seu reformare possunt, addendo vel minuendo, & aliqua cassando, Verū etiā Datarius habet in facultatibus eas etiam pro libito lacerandi, vel alias retinendi L; Sequutoque dicto registrationis actu perficiente, consignantur expeditoribus, vt per officiales de quibus *disc sequenti*, expendantur literæ, quæ pro gratiæ executione ac effectu, necessariae sunt, & sine quibus, ex regula Cancellariæ de non iudicando iuxta formam supplicationis, ipsæ supplicationes, quamuis perfectæ, & registratæ, vt supra, non suffragantur; Aliquibus casibus exceptis, in quibus id receptum sit, puta vbi agatur de exiguis beneficijs duorum ducatorum valorem non excedentibus, aut de pensionum cassationibus, siue de prouisionibus aliquorum officiorum vacabilium minoris ordinis, iuxta stylum, qui totum facit, atque Datarie, & Cancellariæ regulator dicitur.

Vndè propterea conclusionem habemus quod Dataria & Cancellaria dicuntur organa Papæ, atque ex earum stylis, eiusdem Papæ voluntas metiri seu regulari solet in quæstionibus subreptionis.

G. iuxta casum enuntiatum tit. de benef. disc. 36.

H. de benef. disc. 42.

I. de testamen. disc. 13. cum seqq.

L. dicto tit. de benef. disc. 42.

nis vel obreptionis aut defectus intentionis. M

Qui autem & quales isti styli sint, non de facili sub ista compendiosa relatione videtur explicabile, cum nimiam redoleret euagationem, cum integrum exigat tractatum; De eis autem agunt dicti moderni scriptores, qui de praxi, & stylo Datariae agere professi sunt, ac etiam alij qui praxim dispensationum Apostolicarum pertractarunt, alijque beneficiarum, apud quos videndum erit; Atque aliqua in rerum beneficialium vel pensionum adnotationibus insinuantur. N

Ex tot officialium autem interventu, ac diligentijs, manat ea recepta conclusio, quod in ijs quae iuris sunt, in Papa non datur ignorantia, quodque concedendo ea quae iuri aduersantur, ita implicite illi derogare seu dispensare dicatur; Non quod in Papa, qui est homo, ut sunt alij, supponenda sit perfecta, & prompta totius iuris scientia, quae naturaliter est impossibilis, potissime quia aliquando sunt Pontifices, in alijs quidem scientijs, & facultatibus versati, non tamen iurista; Sed ex ista ratione assistentiae tot officialium, qui in suis respectiue materijs sint peritissimi, quod generaliter cuiusque alteri Principi congruit.

Quamuis autem hoc Datariae Tribunal, gratiosum potius, quam contentiosum sit, dum gratiae, quae per Papam conceduntur per hoc organum explicantur; Adhuc tamen forma contentiosa frequenter in eo dignoscitur, non tamen cum formali tela iudiciaria, sed in quadam forma summaria etiam cum interventu Aduocatorum, & Procuratorum ore tenus, & in scriptis, praesertim super concernentibus officia Curiae, ac etiam in materijs beneficialibus, vel in dignoscendo, an suffragentur indulta concessa Cardinalibus, & alijs Praelatis; Vel an suffragentur, beneque facta sit acceptatio alternatiuae per Ordinarios, quae sit per Data-

rium, unde propterea eius libro defertur; Siue circa piscatorias impetrationes certo modo, an concedendae sint, nec ne, ac super alijs, quae concernant declarationes mentis Papae, quam Datarius tanquam minister informatus, eiusque organum declarat. O

Isque in suo munere tantae fidei ac auctoritatis reputatur, ut eius attestacionibus, vel declarationibus, alijsque gestis adeo deferatur, ut neque concedatur facultas probandi contrarium P; In ijs tamen quae asserit vel declarat durante officio, non autem post illud expletum, quando regulariter ei non defertur, nisi in casu quo pro facti qualitate, & circumstantijs, Rota, vel alter iudex, ex officio illum interroget, ideoque reguladesuper statui non potest, cum materia arbitraria sit. Q

Prout neque regula statui potest circa stylos, dum in dies, pro casu, & inconuenientium contingentijs per Constitutiones Apostolicas, vel per decreta variae sunt prouisiones, ut praesertim nostra aetate, sub Innocentio Decimo, praxis docuit super solemnitatibus adhibendis in transumptis literarum Apostolicarum, de quibus in beneficiali sede agitur, cum similibus. R

Quia vero nimis incommodum, ac taedium esset, ut Papa negotiorum tanta multitudo pressus, cogatur manu sua signare, ac singulariter recognoscere omnes supplicationes etiam super illis grauijs leuioribus vel minoribus, quae de stylo omnibus concedi solent, ac nemini denegari; Hinc proinde ad instar eorum, quae superius agendo de Secretaria breuium insinuata sunt ex quadam generali delegatione ipsius Papae Datario, eo ipso quod huic videatur, quod gratia concedi possit, vel debeat, supplicationes per eum, aliosque officiales, ac reuifores ut supra recognita vel respectiue recognoscenda pro negotiorum diuersa qualitate

M. Mantig. decis. 214. Gregor. & add. decis. 156. decis. 115. par. 10. rec. & sepius.
N. Amayden. de stylo datariae, Corrad. in praxi dispensationum, Lotter., & Gonzal. de benef. & sub tit. de benef. & sub tit. de pension. ac etiam sub tit. de iudic. agendo de executione literarum Apostolicarum.

O. Buratt. dec. 883. in fin. dec. 115. num. 4. & seq. par. 10. rec.
P. dec. 68. num. 8. & seq. par. 5. rec.
Q. Buratt. dec. 835. num. 14. dec. 5. num. 12. p. 10. & rec. insinuatur tit. de Regal. disc. 14.
R. de benef. disc. 76.

re, nomine Papae signantur per quemdam officialem in forma concessum, quod scilicet dicitur concessum per Dominum Papam tanquam per viam attestacionis, ut e conuerso supplicationes, quae signantur per ipsummet Papam, habent diuersam formam per verbum fiat ut petitur, ac iuxta illam diuersam subscriptionem, commissionum forensium, si fiat per viam Signaturae Gratiae ac alteram Signaturae Iustitiae ut in istorum Tribunalium particulari rubrica inferius aduertitur.

Iste vero modus signandi commissiones per concessum, quandoque in grauioribus etiam gratijs & negotijs, in quibus supplicationes signantur manu Papae, practitari solet, quando Papa infirma valetudine, vel alio impedimento detentus id per se ipsum commodè explicare non potest, Atque dum hoc munus alicui Cardinali vel alteri nimium qualificatae fiduciariae personae per ipsum Papam committi solet, neque de potestate dubitandum est.



De Cardinali Vicecancellario; Et de Cancellariae Apostolicae officialibus, eorumque muneribus.

S V M M A R I V M

- 1 Quod istud officium sit antiquissimum, & de ratione.
- 2 De nomine seu vocabulo Vicecancellarij, & cur ita dicatur.
- 3 Quod sit officium magnae existimationis, & utilitatis.
- 4 Habet titulum fixum Sancti Laurentij

in Damaso, & ibi annexum insigne Palatium.

- 5 Quae munera exerceat, siue in quo eius officium versetur.
- 6 Notabilia producit emolumenta, & quae sint magis considerabilia.
- 7 De cedulae consistorialibus super prouisionibus Ecclesiarum, & alijs.
- 8 In eius cancellaria Palatio efformantur etiam omnes bullae seu litterae Apostolicae.
- 9 De officialibus Cancellariae nempe de Regente, de Praesidentibus parci, & alijs, eorumque munere.
- 10 Ista officia sunt venalia, & de ratione remissiuè.
- 11 De introductione annatarum, & emolumentorum pro expeditionibus literarum Apostolicarum.
- 12 De congregatione officialium, & expeditorum in Cancellaria.
- 13 In Palatio Cancellariae fiunt disputationes publica Auditorum Rotae, & Aduocatorum Consistorialium.
- 14 Quam Praesidentiam habeat Vicecancellarius Rotae Auditorio.
- 15 De officio Regentis Cancellariae circa commissiones causarum.
- 16 Officiales Cancellariae quam facultatem habeant adijcendi in literis praeter supplicationes.
- 17 An possint prorogare terminum expeditionis literarum.
- 18 Quod quaedam emolumentorum asequutio pendeat ab arbitrio Collegij Cardinalium.
- 19 Deductis auri, & de florenis remissiuè.
- 20 De taxis Cancellariae.
- 21 De taxis arbitrarijs, & varijs.
- 22 Damnat obloquentes de solutione, quae fiat pro dispensacionibus.

D I S C. X.



Antiquissimum, atque probabiliter omnium primū, in ipso initio primitiuae Ecclesiae, dicendum videtur istud officium (neglecta tamen nominis seu vocabuli quaestione), quoniam, si pro baptismatibus, alijsque diuinis, ex tunc, sub asperis persecutionibus, plures clerici (ex